



Cvrsvs Philosophicvs

Arriaga, Rodrigo de

Antverpiæ, 1632

Sect. II. An detur, daríve poßit species impressa ad claram Dei visionem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95614](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95614)

ad alios actus similes illi assensui, ea autem species est species rationum communium, quia indiuisibiliter sine distinctione omnia singularia representat, quod est esse speciem rationis communis.

97 SEPTIMA CONCLUSIO. Dantur in intellectu species propriae Dei, Angeli, & aliorum obiectorum, quae solum per discursum cognouimus. Hæc Conclusio, explicatis terminis, difficultate caret, & à nemine negari potest. Species proprias Dei eas dico, quae non representant nisi Deum; & proprias Angeli, quae solum Angelum. Sicut ergo habeo cognitionem solum representantem Deum, ut cum dico, Deus est æternus, infinitus, &c. ita etiam species, quae faciunt hanc cognitionem, sunt species propriae Dei, quia solius Dei sunt virtualis imago. Verum, quia hæ species sunt productæ ex similitudine aliarum rerum materialium, ideoque imperfectissimæ & confusissimæ Deum representant, licet sint propriae illius, non tamen sunt quidditatiuæ; sicut & ipsa cognitio, quam de facto habemus, etiam si illum solum representet, non tamen dicitur quidditatiuæ; per speciem enim & cognitionem quidditatiuam, eam solum intelligimus quae representat obiectum in se, & non in medio aliquo imperfectiori prius cognito, quales sunt creaturae, ex quibus eam speciem de Deo formauimus, quo etiam sensu illæ species & cognitiones solent vocari non propriae, id est, non quidditatiuæ, etiam si solius Dei propriae sint.

98 Sed obijciat: Illæ species semper representant aliquod aliud obiectum, ad cuius similitudinem Deum concipio; ergo non sunt propriae Dei, sed etiam aliis communes. Respondeo, licet præmissa, ex quibus ego per discursum ex aliis creaturis ad Deum deueni, representent alia obiecta à Deo distincta, illum tamen actum, quo in conclusione dico, Ergo est Deus infinitus, æternus, &c. istum inquam actum vel non representare creaturas, neque immediate illas cognoscere, sed solum Deum; sicut actus, quibus dico, Solus Deus, qui manifestat solum Deum representant; vel, etiam si representent alia obiecta, simul tamen Deum ipsum representare, & ex hac parte esse proprias Dei, licet simul alia representent. Imò species relicta ex istis actibus solum Deum representabit, & consequenter erit propria solius Dei, & non aliorum obiectorum. Ut enim alibi dixi, species relicta ex actu conclusionis non solet representare præmissas, etiam si ipse actus conclusionis eas representet.

SECTIO II.

An detur, dariue possit species impressa ad claram Dei visionem.

99 QVÆSTIO hæc ferè est Theologica: eam traetaui primâ Parte Disputat. 11. à num. 20. quam hic ex toto ponam, est tamen magnâ ex parte de solo nomine cum aliquibus, ideo breuius ab illâ expediemur, quam recentiores nonnulli.

Inquirimus ergo, vtrum, sicut color concurrat ad cognitionem non per se immediate, sed mediâ specie, ita etiam Deus ad visionem claram

sui concurrat cum intellectu Beati, non immediate per se, sed per speciem à se productam. Non dubitamus, an Deus, ut causa vniuersalis & prima, immediate concurrat ad visionem sui (hoc enim certum est, ob rationem communem, omnibus effectibus creatis;) dubitatur ergo, vtrum præter concursum causæ primæ habeat alium immediatum circa sui visionem, an verò solum mediatum, producendo speciem quæ loco illius, ut obiectum, concurrat.

SYBSECTIO PRIMA.

Sententia negans possibilem speciem impressam.

PRIVVS Thomas hac quæstione art. 2. ita egit in hac difficultate, ut merito poterit à Theologis pro contrariis sententiis referri. Ex vna enim parte intentum ipsius videtur esse agere de specie impressâ; ponit enim exemplum in aliis speciebus impressis: aliunde verò, dum ad probationem conclusionis descendit, solum affert rationes probantes, non posse Deum cognosci in creatâ aliquâ specie obiectiuâ intermedia, ut in speculo; quod verum quidem est, & nos ostendimus infra. Thomistæ verò omnes expressè negant, etiam diuinitus possibilem esse speciem impressam Dei. Argumentum cuiusdam pro hac sententiâ, desumptum ex eo quod species impressa sit ipsa quidditas obiecti, dissoluitur inferius, dum egerimus de essentia speciei.

Sit ergo commune omnium ferè Thomistarum argumentum primum contra speciem impressam, Quia res ordinis superioris non potest cognosci per speciem ordinis inferioris: species enim debet esse in eodem gradu immaterialitatis cum obiecto; ergo nulla creatura poterit esse species impressa Dei. Falsum valde Antecedens, ut patet in Angelo cognoscente substantiam alterius Angeli per speciem accidentalem longè inferioris ordinis, quam sit ipse Angelus. Secundo, si cognitio non debet esse eiusdem ordinis cum obiecto, ut fatentur in ipsâ visione beatâ, cur id debebit habere species impressa, quæ non representat, sed concurrat ad productionem representationis? Tertio, non est de conceptu speciei impressæ, ut sic, esse eiusdem ordinis cum obiecto; cur ergo id erit de conceptu speciei intuitiuæ, non verò abstractiuæ? Certè axioma illud quo Thomistæ vtuntur, de omni cognitione loquuntur; ergo vel in omni cognitione propter illud debet poni ea æqualitas speciei cum obiecto, vel in omni negari, ut & neganda est.

Secundo obijciunt, Quia si Deus videtur per speciem impressam, ergo non videtur per essentiam. Ecce æquiuocationem ex phrasi Latinâ: aliud enim est, videri per speciem tamquam per concausam efficientem visionis; aliud, ipsam speciem impressam esse obiectum terminans visionem, & in quâ, ut in speculo, videatur Deus. Hoc secundum negamus, concedimus primum. Vbi considera argumentum inconsequentiam, Vnus Angelus videt alterum clarè & immediate, & tamen in illorum sententiâ & verâ hoc fit per speciem impressam; ergo videri per speciem impressam, non repugnat cum visione immediata in seipso, seu cum visione per essentiam. Video oculis.

caſionem æquiuocationis ex phraſi Latinâ (vt dixi:) Deus videtur per eſſentiam, quæ in rigore falſa eſt: debet enim dici, Videtur eſſentia Dei; quâ phraſi quia non vitmur in viſione Angeli, (nec enim ſolemus dicere, Videtur Angelus per eſſentiam, ſed, Videtur eſſentia Angeli) inde non putarunt repugnare, Angelum videri per ſpeciem impreſſam, ſic verò Deum, vſurpantes illud *per*, quod eſt æquiuocum, vbique in eodem ſenſu; cum tamen, quando dicitur *per eſſentiam*, propriè ſolùm ſignificet, videri eſſentiam Dei immediatè, cum verò dicitur *per ſpeciem impreſſam*, ſignificet præſe; ſpeciem eſſe cauſam viſionis, non verò medium cognitum.

103 Tertiò, Quia ſi daretur ſpecies impreſſa, ea prodiret naturaliter ex ipſâ eſſentiâ Dei, & conſequenter non eſſet libera, quod omnino repugnat. In primis hoc argumentum eandem viam habet in concurſu Dei per modum obiecti ad viſionem ſui: nam, ſi obiectum producit naturaliter ſpeciem ſui, etiam producit concurſum in viſionem, ſeu viſionem ipſam ſui cum potentiâ approximata & diſpoſita, quia vterque concurſus oritur à naturâ, imò magis debetur potentiæ proportionatæ concurſus obiecti, quàm debeatur illi ſpecies impreſſa, ſi alias ſupponatur obiectum approximatum; ergo, ſicut hoc non obſtante admittis, Deum immediatè concurrere ad viſionem ſui, ſiue liberè ſiue neceſſario, ita & debes admittere, eum poſſe producere ſpeciem ſui.

104 Abſolutè ergo reſpondendum eſt Primò, etiamſi ſpecies impreſſa procedat à naturâ Dei, poſſe tamen eam productionem eſſe ſubordinatam voluntati, & conſequenter liberam: ſicut motus localis, licet non procedat in nobis immediatè à voluntate, ſed à potentiâ loco-motivâ, eſt tamen ſubordinatus voluntati; & in hoc ſenſu non eſt naturalis, licet procedat à naturâ. Secundò addo, non eſſe neceſſarium vt procedat ſpecies à naturâ Dei immediatè, licet ſit reſpreſentatiua nature, ſicut ipſe concurſus in ipſam viſionem, in ſententiâ Thomiſtarum non procedit à naturâ, ſed ab omnipotentia, & tamen viſio non ſolam omnipotentiam, ſed etiam naturam & relationes reſpreſentat (& in omnibus aliis ſpeciebus de ſubſtantia idem tenentur dicere Thomiſtæ, qui negant ſubſtantia omnem immediatam operationem etiam in ſpecie;) ergo ſpecies impreſſa formæ ignis, licet ipſam formam reſpreſentet, non tamen ab ipſâ formâ producit, ſed ab instrumento operatio illius; idem ergo dicendum eſt de ſpecie impreſſa reſpectu Dei.

105 Aliam cuiuſdam Thomiſtæ pro hac conſuſione rationem, deſumptam ex neſcio quâ æqualitate ſpeciei impreſſæ cum obiecto omitto: quia ſi ſermo ſit de æqualitate in eſſe entis, conſtat ex dictis, id eſſe falſum in exemplo ſpeciei de Angelo, quæ eſt accidens. Si verò loquatur de æqualitate in reſpreſentando, id eſt vt reſpreſentet omnia quæ habet obiectum, tunc in primis hoc non repugnat, vt alibi dixi, etiam reſpectu Dei. Deinde hoc non habet maiorem diſcultatem in ſpecie impreſſa, quàm in viſione ipſâ. Sicut enim poſteſt eſſe viſio inadæquata, cur non etiam & ſpecies impreſſa inadæquata? Et hîc nota contra Thomiſtas, vniuerſaliter ab ipſis nihil afferri contra hanc ſpeciem impreſſam, quod non eo-

dem modò vigeat contra viſionem ipſam, vocetur ſpecies expreſſa vel non.

Alij hanc reddunt rationem: Repugnat ſpecies expreſſa de Deo, ergo & impreſſa. Patet conſequentia; quia impreſſa ordinatur ad expreſſam. Hæc ratio diſplicet, & quia ſupponit valdè falſum principium, de quo infra (oſtendat enim, omnem cognitionem creatam eſſe etiam eo ipſo ſpeciem expreſſam) ſecundò quia ipſi Thomiſtæ, quos hic Auctor ſequitur, dicit, ſemper concurrere ſpeciem impreſſam, etiam quando non ſit expreſſa, dummodò ſit cognitio de obiecto. Et ratio eſt, quia ſpecies impreſſa propter cognitionem requiritur; ab obiecto enim & potentiâ paritur notitia, ſiue hæc notitia ſit ſpecies expreſſa, ſiue non. Ergo cum viſio beata ſit notitia Dei, poterit prodire ab ſpecie de illo. Confirmo, Deus debet neceſſariò in viſionem ſui concurrere vt obiectum, etiamſi ea viſio nō ſit ſpecies expreſſa; ergo ex hoc capite poterit aliam qualitatem delegare loco ſui quæ hunc concurſum præſtet, niſi id aliunde repugnet, quod non oſtenditur ab his.

Nonnulli verò recentiores, volentes ſaltem nomine Thomiſtis adhaerere, vt repugnantiam huius ſpeciei impreſſæ defendant, alio vtuntur argumento; aiunt enim, ſpeciem impreſſam naturâ ſuâ ordinari ad ſupplendam abſentiam & improportionem obiecti; idè enim inuenerunt Philoſophi ſpecies impreſſas, quia obiecta abſentia & improportionata non poterant cognitionem de ſe immediatè producere; oportuit ergo dari ſpecies impreſſas ſupplentes eam abſentiam. Vnde inferunt, Ergo cum Deus non poſſit eſſe abſens & improportionatus reſpectu intellectus informati lumine gloriæ, inde ſit, vt repugnet qualitas ordinata ad ſupplendam improportionem Dei; quia quod non poteſt abeſſe, non poteſt ſuppleri; ergo non poterit eſſe ſpecies impreſſa Dei.

Si his Auctoribus obſicias, Angelum nec diuinitus poſſe à ſe abeſſe, & tamen poſſe ſeipſum cognoscere per ſpeciem impreſſam; Reſpondent, Angelum poſſe abeſſe ab aliis, & conſequenter poſſe eſſe ſpeciem impreſſam de ipſo, pro aliorum intellectu; datâ autem ſemel hac ſpecie, poſſe diuinitus ſubſiſtere in eodem Angelo, & ſe per illam cognoscere: Deum autem nulli intellectui poſſe eſſe abſentem & improportionatum, ideoque reſpectu nullius poſſe eſſe ſpeciem impreſſam de Deo.

Hi Auctores fecerunt quæſtionem de ſolo nomine: fateor enim illis, ſi hoc intelligant per ſpeciem impreſſam, illam non eſſe poſſibilem reſpectu Dei, quod bene ab ipſis probatum eſt. Ceterum inquirimus, an ſit poſſibilis aliqua qualitas creata concurrens ad viſionem loco Dei, ſiue dicatur ſpecies, eò quòd concurrat loco obiecti, ſiue, quia non ſupplet abſentiam, non dicatur ſpecies, ſed qualitas impreſſa, quæ erit quæſtio de nomine, in quâ diſplicerent hi Auctores. Nam, exceptis duobus aut tribus, omnes alij ceteri Philoſophi ſolùm intelligunt nomine ſpeciei impreſſæ qualitatem aliquam concurrentem loco obiecti, nec requiſierunt ordinari illam, ad ſupplendam improportionem obiecti: ergo hi abutuntur ſignificatione communi. Neque obeſt, ſpecies impreſſas primò inuentas propter obiecti abſentiam: nam, licet hæc fuerit occaſio inueniendi,

M m m ; nomen

109 nomen tamen vniuersalius, acceptum est; sicut licet primò usurpata fuerit substantia pro recipiente accidentia, iam tamen significatio extensa est, & vniuersalius facta, quod in multis aliis nominibus contigit; ergo ex hac parte non neganda est species impressa Dei, etiam sub hoc nomine.

Secundò hi nouam in præsentia faciunt de nomine quaestionem. Si enim illis obiicias, Deum saltem ex defectu suæ liberæ voluntatis reddi posse impotentem proximè ad concurrendum, & consequenter, possibilem esse speciem, reddentem Deum proximè potentem, quia supponit illum impotentem ob defectum volitionis; Respondent, per speciem significari qualitatem supponentem obiectum improprium, non solum quia non velit, sed quia vel virtus vel approximatatio illi deficiat: ex quo inferunt, illam non futuram speciem Dei, quia licet supponat illum impotentem ex defectu volitionis, non tamen ex defectu virtutis, aut approximationis. Ecce ergo nouam quaestionem de nomine, in qua secundò gratis hanc rigorosam improprietatem ex parte obiecti requirunt, vt possit esse species de illo. Sed ne in illâ frustrâ hæreamus, veniamus ad quaestionem de re, vtrum talis qualitas sit possibilis, vocetur species vel non.

110 Alij verò, hanc rationem vt imbecillum reijciant, addunt postea alteram, in qua eam rursus approbant: est autem, quod species impressa tota sit ad producendam speciem expressam; ordinatur enim ad supplendam obiecti absentiam (ecce hic iam relabuntur in rationem à se impugnata) ergo ad producendam speciem expressam, in qua obiectum absens videatur; atqui repugnat species expressa Dei, ergo & impressa.

Dno displicent in hac ratione, & quod neget, dari speciem expressam in visione Dei, sed de hoc infra Disputat. VI. Sectione 2. Secundò displicet, quod dicat, speciem impressam ordinari ad supplendam obiecti absentiam: iam enim ostendi, solum ordinari ad faciendum id quod esset facturum obiectum, & de facto non facit, vnde cumque id proueniat.

Tertiò etiam displicet, quia saltem relinquit possibilem qualitatem aliquam, quæ agat in visionem, totum, quod facit obiectum, vocetur species, vel prout tu volueris; quod pertinet (vt dixi paulò antè) ad quaestionem de nomine.

SVBSECTIO SECVNDA.

Possibilis est species impressa Dei, non tamen datur de facto.

111 SVBSECTIONE præcedenti soluimus faciliè argumenta, quæ fieri possunt contra possibilem speciem impressam; vnde constat, eam non repugnare, quæ est sententia Suarez, Molina, Valquez, & ferè omnium Theologorum, exceptis Thomistis. Hæc species, casu quo existeret, naturâ suâ peteret, ne concurreret Deus tamquam obiectum, licet possit, sed vt id permetteret ipsi speciei. Hinc autem constat, eam non posse naturaliter existere, quia, quando obiectum per se potest concurrere, otiosa est qualitas loco illius concurrens, & consequenter naturaliter impossibilis, & quoad hoc vltimum conueniunt omnes Theologi, excepto vno P. Valquez.

Sed obiicias Primò? Deus non est proportionatus ad concurrendum cum nostro intellectu ad visionem sui, quia naturaliter non potest concurrere; ergo naturaliter adhuc potest esse species Dei. Respondeo, negando Antecedens: Deus enim ex se proportionatus est, nostra autem potentia est improprium secundum se; vnde oportet vt detur lumen gloriæ, non quidem suppleans defectum obiecti, sed potentiam complens, & reddens proportionatam.

Obiicias Secundò: Deus, quantum est ex se, solus potest producere effectus causæ secundæ, & tamen admittit eius consortium, ergo etiam admittit naturaliter species, licet de se sit potens ad æquatè concurrere. Nego consequentiam, quia causæ secundæ non operantur nomine Dei, & vt vicariæ illius, sed ex naturali ipsarum exigentiâ, & quæ effectus ipsas petunt; species verò impressa solum operatur, vt substitutum gerens Dei vicis, idè non est necessarium, imò superfluum, vt vere substitutum, vbi perfectissimè potest res fieri ab illo cuius est substitutum: idè licet conaturaliter loquendo, causæ secundæ debeant compleri per alias concausas secundas citius quam recurramus ad concursum Dei, id tamen solum est verum, quando causæ secundæ nomine proprio operantur, non quando deberent operari nomine Dei; tunc enim conaturalius est vt ipse Deus operetur.

Sed hinc obiicias contra possibilitatem speciei impressæ, Quia Deus est proximè à seipso intelligibilis, ergo non potest esse vlla qualitas quæ illi tribuat hunc effectum formalem; sicut quia à seipso est intelligens, non potest id habere ab aliquo distincto.

Respondent nonnulli, Deum fieri immediatè intelligibilem à specie. Sed contrà, quia hoc videtur Deus habere à seipso, saltem ita in Antecedente obiectiōnis supponitur; ergo hoc non poterit habere per qualitatem distinctam.

Ne res confundatur terminis, cum nullus sit difficultatis, dico, Deum à seipso non esse proximè intelligibilem: nam licet per suammet substantiam possit concurrere, oportet tamen vt concurrere velit, & sic erit omnino proximè potens, vnde si, existente adhuc lumine gloriæ, nollet concurrere, non esset proximè potens omnimodâ proximitate (ne faciamus quaestionem de nomine) licet haberet virtutem, vt, si vellet, posset. Vnde constat vterius, ab specie impressa non accipere Deum effectum cum formalem, quem à se habet, scilicet, posse concurrere, si velit. Vnde quia vt actu proximè possit concurrere, debet actu velle per se, aut per speciem id præstare: inde fit, vt quando non vult per se, sed per speciem, hæc illum constituat & denominet extrinsecè potentem omnimodâ proximitate. Vel, si velis alius terminis, dicas, Deum à specie constitui actu concurrentem, quod non habet per semetipsum. Et hinc respondetur omnibus instantiis, quæ fieri possunt ex aliis attributis Dei, & denominationibus, quæ illi ab extrinsecò prouenire non possunt respondetur, inquam, Deum per semetipsum, omni seclusâ qualitate, esse actu & formaliter cognoscentem, durantem, existentem in loco, &c. idè has denominationes non posse ab alio accipere, sicut propter eandem rationem etiam creata vbicatio v. g. non potest poni in loco per aliquid

quid à se distinctum, quia per semetipsam essentialiter est in loco in actu secundo omni actualitate, hoc autem non habet Deus per se ipsum in ordine ad actuale concursum in visionem, ut ex dictis constat.

114 Obiicies Quarto: Si est possibilis qualitas naturā suā ordinata ad faciendum miraculum, iam illud erit & non erit miraculum. Erit, ut supponitur: non erit, quia est iuxta naturam illius qualitatis. Miror hic impigisse Auctores aliquos. Nonne lumen gloriæ connaturaliter efficit visionem beatam, quæ absolute est supernaturalis? Idem est de aliis habiibus supernaturalibus, qui & connaturaliter oriuntur à gratiā, & connaturaliter efficiunt actus supernaturales, & tamen inde nulla contradictoria sequuntur. Ratio à priori est, quia, ut aliquid sit supernaturale, non sufficit si sit supra naturam illius accidentis (ut supra diximus) nam accidens non constituit propriam naturam; requiritur ergo, ut sit supra exigentiam substantiæ cui inest. Hoc autem non habet illi visio beata producta à specie impressa: licet enim esset iuxta naturam speciei, non tamen iuxta exigentiam animæ, nec iuxta exigentiam Dei, loco cuius ista species producit, nec tandem iuxta exigentiam ipsius visionis, quæ connaturalius oritur à Deo: his autem tribus dicitur illa species supernaturalis, non verò sibi ipsi.

115 Tandem obiicies: Visio petit à Deo fieri, ergo non potest esse qualitas naturā suā concurrens loco Dei; sicut, quia gratia petit naturā suā à solo Deo fieri, non potest dari causā creata naturaliter productiua gratiæ. Nego consequentiam, & in gratiā nego eam esse rationem, sed alias diuersas, quas reddunt Theologi dum de hoc puncto disputant; quia scilicet nullus potest conferre amicitiam, nisi ipse amicus, &c. quæ si non sit efficax, dicendum est, posse esse qualitatem productiuam naturā suā gratiæ.

Aduerte, eam speciem impressam non substituendam loco Dei in ordine ad terminandam visionem, quia hoc non præstat species, ut dicam infra contra Thomistas; sed solum, ut produceret visionem. Præterea, Deum mediā illā non vniendum physice intellectui, quia neque hoc præstatur à specie: neque enim cognoscens brutum vnitur physice cum illo per speciem bruti, ut dicam infra; solum ergo præstaret concursum efficientem. Vniatur autem intellectui creato, quia, cum esset accidens, deberet habere subiectum, & indistans ab ipso Angelo vel homine vidente Deum, ut hic possit operari cum eā specie; nullum autem subiectum potest hæc duo melius habere, quam ipse homo & Angelus, vel eorum intellectus. Et hæc de quæstione hac Theologica sufficiant.

SECTIO III.

Quod sit munus Speciei impressæ.

116 PROBATA speciei impressæ existentia, ad eius officium essentiamque dignoscendam accedendum est.

SUBSECTIO PRIMA.

Species impressa nec est eiusdem speciei cum obiecto, nec terminat visionem.

FINXERVNT ergo nonnulli, speciem impressam esse eiusdem speciei cum obiecto, imò esse ipsammet quidditatem obiecti: unde intulerunt, speciem intellectualem, quā ab Angelo cognoscitur homo, esse formalissimè hominem, hinc rursus deduxere, repugnare speciem impressam creatam Dei, quia nulla creatura potest esse eiusdem speciei atomæ cum Deo.

Secundò docent, ex obiecto cognito, & ex cognoscente fieri vnum per se magis propriè, quam ex materiā & formā; unde colligunt, cognoscen-tem fieri verè & realiter ipsum obiectum quod cognoscit, quia species impressa, quæ recipitur in cognoscente, est ipsa essentia & quidditas obiecti.

Tertiò tandem addidit, hanc conuenientiam speciei cum obiecto non necessariè futuram formalem, sed sufficere eminentialem.

Inprimis nota summam inconsequentiam: si enim species necessariò est eiusdem atomæ speciei cū obiecto, imò ipsa quidditas obiecti; ergo conuenientia non debet esse eminentialis, sed necessariò formalis, quia prædicatū formale & eminentiale non sunt eiusdem speciei atomæ, & multò minus vnum est ipsa quidditas alterius; sed hoc addidit, ne Deum facerent formaliter asinum, quandoquidem perfectissimè illum cognoscit.

Deinde, quod docent primo loco, euidenter lumini naturæ repugnat. Si enim species impressa est eiusdem speciei atomæ cum obiecto, & illius essentia & quidditas; ergo in Angeli intellectu erit formalissimè asinus, bos, porcus, &c. nam habet perfectissimas species impressas de illis. Sed nec mirum si ibi sint tales bestię, quandoquidem in horum sententiā Angelus etiam est stabulum: dum enim cognoscit stabulū, fit formalissimè vnum cum illo magis propriè, quam resulter vnum ex materiā & formā. Hæc non tantum Philosopho, sed homine etiam indigna sunt. Ratione euidenti inde redarguuntur: nam homo potest manere, licet non cognoscatur ab Angelo, & potest cognosci, licet non sit; ergo cognitio non est quidditas hominis, nihil enim potest manere sine suā quidditate. Quod si confugiant ad similitudinem eminentialem, facile impugnabuntur: nam Angelus quidditatiuè & perfectè per species impressas cognoscit creaturas existentes, & alios Angelos, imò in Thomistarum sententiā aliqui Angeli per vnam speciem impressam omnes creaturas cognoscunt. Quis ergo dicet, illam speciem impressam esse substantiam eminenter continentem omnes substantias creatas, omnes Angelos, & omnibus illis simul sumptis perfectiorem? Certè illa species deberet esse alius Angelus nobilior multo, capax

discurrendi, amandi Deum, illum videndi, mouendi corpora localiter, & alios Angelos, quandoquidem eminenter continet omnes has perfectiones. Imò & in diabolo deberet esse talis substantia, quia & ipse habet cognitionem de obiectis creatis: & cum etiam gratiam supernaturalem cognoscat, deberet habere aliquid conti-